

J. N. J. C. C.

UT

V I R I

EXCELLENTI NOMINIS SPLENDORE, DOCTRINAEQUE AC
VIRTUTVM LAUDE MAXIME CONSPICUI,

NEMPE

EPHORI SCHOLAE LONGE
HONORATISSIMI,

ET

TEMPLI ET CURIAE LUMINA, CUNCTIQVE IN URBE NOSTRA LITERATI,
ET LITERARUM FAUTORES,

JUVENEM INGENII CANDIDI, BONARUMQVE LITERARUM
AC DOCTRINAE PERCUPIDUM

SALOMONEM EPHRAIM ZIESLERUM,
ALTMUGEL. MISNICUM,

SCHOLAM NOSTRAM

VALERE JUBENTEM

DIE XXIV. MAII,

AUDITA NONA MATUTINA AUSCULTARE BENEVOLLE VELINT,
DECENTER ATQUE PERAMANTER PETIT

M. Daniel Müllerus,

Rect. Schol. Chemn.

CHEMNICII,

Literis Stöffelianis, M DCC XXIX.



II. Saxon. II.

15, 41.

H 8
Hup. Sacc. eod. 422.



* * *

Imul ac Juvenem ingenii candidi, literarumque ac doctrinae percupidum, *Salomonem Ephraim Zieslerum, Orationem de Hebraeorum veterum igne perpetuo* Marte suo conscriptam, sub discessum suum publice recitaturum esse cognovi, in hoc, quo proxenetam ago, scripto, de igne perpetuo non Judaicae, sed gentium aliarum, praemittere quaedam constitueram. Omnes enim fere gentes ignem quendam perpetuum alere esse solitas, viri a multis literis & iis quidem reconditis instructi, e quibus jam *Petrum Danielem Huetium* (a) & *Alexandrum ab Alexandro* (b) nominasse sufficiat, jamdudum docuerunt. Neque aberraturum me sa vero existimo, si de igne perpetuo a Mose praecepto (c) fando nonnulla inaudivisse, magnoque consensu ritum huncce imitatos esse populos reliquos, Chaldaeos, Persas, Medos, Capadoces, Graecos, Romanos & alios plures, cum Huetio (d) statuam. Animus erat, deinde ad ignem divino prorsus honore a gente non una affectum delabi, Commemoraturus primum omnium eram Persas, qui elemento illi inviolabili, omnia, quaecunque arripuerit, absumenti (e), pabula atque sacrificia offerentes, ita illud, velut ex *Maximo Tyrio Johannes Henricus Ursinus, & Johannes Pierius Valerianus* (g) referunt, leguntur esse allocuti: *πῦρ θεσπορα, ἔδωκε, Ignis domine, ede.* De iisdem Persis non istud tantum eram additurus, eos mortuorum corpora non alia ex causa igne cremare veritos esse, quam quod Deo, igni, cadaver offerre, Dei majestate indignum prorsus judicarent (h); sed hoc etiam, eos ignis colendi ritum Capadocibus, Lyciis aliisque Asiae populis per manus quasi tradidisse. Disquisitionis eram, num Nimrod primus ignis instituisse cultum recte credatur (i). Monstraturus eram, & insipientis sapientiae in Graecia cultores, & Sacerdotes tam Graecos, quam Romanos ignem, veluti Deum, veneratos esse (k). Nec tacuisssem, hodieque Gauros, ex Persia quondam profugos, in India superstitione ignem colere, & miris hac in re uti ceremoniis, id quod Anglus, *Johannes Orvington*, in Itinerario suo refert (l). Rimatus etiam fuissem causas (m), quidque huic hominum generi occaecato hanc injecerit amentiam, ut divinitatis aliquid inesse igni sibi persuaderet, fuissem sollicitus. Fortassis etiam, si plagula omnibus his persequendis suffecisset, de consuetudine prisca ignem in publicum prodeuntibus Regibus aliisque praeferendi, non nulla adpersissem. Sed omne hoc propositum subito migravi, illis, quae nuper admodum de doctis Ephorum Chemnicensium filiis, gloriam a Patribus acceptam laudabiliter tuentibus, exposui, subnectenda aliqua esse recordatus, quorum tunc vel ignarus fui, vel praeter opinionem oblitus. Primum *Johannem Baptistam Rutam* Patre usum esse **M. Georgio Ruta**, summo sacrorum hoc loco quondam Antistite, conjectura duntaxat tunc sum auguratus. At incidi aliquot post diebus in carmina ejus honoribus, cum summum in Philosophia gradum A. 1590. Wittebergae consequeretur, dicata, in quorum fronte *Reverendi & Clarissimi Viri, Dn. M. Georgii Rutae, Superintendentis Chemnicensis*, filius expresse nominatur. Inter ipsa carmina palmam reliquis praeripere mihi videtur istud, quo *M. Paulus Lemmelius*, Schnebergensis, Scholae patriae Collega (n), dignitatem novam ipsi gratulatus est, quod & ob non parvam, quam spirat, elegantiam, & propterea etiam, quia patri summe Reverendo, Chemnicio tandem dissidii in religione causa (quam labem ei abstergere alio tempore conatus sum) excedere jussu testimonium purioris doctrinae & justii adversus vipereum falsitatis venenum spargentes odii dicit, transferre huc licebit. Ita autem *Lemmelius*:

*Ruta, sui columen generis, servare seipsam
Scribitur; & quovis tempore Ruta viret.
Ruta feros abigit mira virtute colubros,
Ruta venenatis est medicina malis.
Ruta potens oculos & visum reddit acutum,
Faucibus obsessis Ruta levamen habet.*

(a) In *Demonstrat. Evangelica Propos. IV. p. 157. 158.* (b) *Libr. V. Dier. Genial. cap. 12. p. 269. seqq.* (c) *Levit. IV. 12.* (d) in *Demonst. Euangel. Prop. IV. p. 25.* (e) ita *Lactantius* nominat ignem *Lib. I. de falsa Relig. cap. 12. p. m. 48.* (f) in *Analect. Sacr. Lib. I. §. 51. p. 76.* (g) *Hieroglyphic. Lib. XLVI. cap. 38. p. 687.* (h) *Vid. Tom. IV. Observ. Halens. §. 6. Observ. XVI. in qua probatur, nescire Philosophos, quid sit ignis.* (i) *Qui vult, legat hac de re Vossium, Lib. II. de Origine & Progressu Idololatriae, cap. 64. pag. 648. seqq.* (k) *Consuluissem hic iterum Vossium loc. cit. cap. 65. p. 651. seqq.* (l) *Vide Acta Erud. Lips. 1726. p. 331.* (m) *Quid Chaldaeos & Orientales Philosophos alios ad hanc opinionem adducere poterit, ostenditur in Observat. selectis ad Rem literariam spectantibus, Tom. I. p. 24.* (n) *Collega nempe tertius, postea Pastor in pago Breitingen prope Cizam, veluti cognoscimus e Ludovici Schul: Historie P. V. p. 157.*

*Non aliter Venerandus alit sua stemmata Pastor
 Ruta, sui generis Ruta columna, Parens.
 Ruta malos arcet Christi praesepibus angves,
 Toxica doctrinae Ruta venena premit.
 Ruta docens oculos aperit verboque potenti
 Cordibus angustiis nuncia laeta refert.
 Talia dum, Fili, vestigia, Ruta, sequaris,
 Fers merito Rutae florida ferta novae.
 Ruta, tuam serves, Rutae sub imagine, stirpem,
 Convenienter uti nomen & omen cant.
 Sit felix Rutae Nato, Rutaeque Parenti
 Hic titulus, felix sit, precor, artis honos.
 Sit, precor, artis honos, fausto praesagia cedant
 Auspicio, Phoebus dum favet atque DEVS.*

Praeter alios decus acqvisitum *Rutae* gratulatus est *M. Wolfgangus Frantzius*, postea magnus sapientiae diviniore Doctor, cujus laudes & merita, dum pietati & doctrinae suum statueretur pretium, nulla unquam oblitterabit vetustas. Quod carmen tamen si locum hic sibi vindicare jure nequeat; tamen quia e dapibus tantorum virorum, quantum fuit *Frantzius*, ne micae quidem parvulae perdendae sunt atque abjiciendae, aequus Lector hic illud legisse, credo, non gravabitur. Sic igitur *Frantzius* canit:

*Quae Veneris stimulos & flammea tela coercet
 Ruta, tibi nomen, dulcis Amice, dedit.
 Efficit haec claros oculos, pellitque venenum,
 Serpentes ipsos vique latente premit.
 Ista voluptatis moderatrix omnia praestat,
 Grata Deo virtus, magnum hominisque decus.
 Sperne voluptates, Veneris non tela nocebunt,
 Sperne voluptates, non male corpus habet.
 Sperne voluptates, Satanae tentatio vana est,
 Sperne voluptates, Rex Stygis ipse fugit.
 Hoc quia, FANE, facis per vitae tempora cuncta,
 En nunc magnus honos surgit ab arte tibi.
 Sis felix, & fide Deo, virtutis amator;
 Sic tua non ullo tempore fama perit.*

Habuit etiam *Georgius Ruta*, quod nuper ignoravi, praeter *Johannem Baptistam*, aliam morum & virtutis suae effigiem, alium filium, *Christophorum Rutam*, qui ut alios multos juris civilis intelligentia praestitit: ita multos etiam alios honoribus & dignitate anteivit. Ad quos honores virtus ejus emerferit, cognoscere si cupimus, id *Christianus Podenstein*, Rector scholae Wirzlebicae ad Onestrum, in ipso carminis terfi admodum & festivi (o), quo nuptias ei gratulatus est, titulo docet, ubi *Christophorus Ruta, Chemnicensis, Reverendiss. & Seren. Principis, Domini, Dn. Christiani Wilhelmi, Archiepiscopatus Magdeburgensis, & Germaniae Primatus Administratoris postulati, Coadjutoris Halberstadensis &c. Quaestor in arce Qvernfordana* appellatur.

M. Zachæi Fabri, praecipui Ephorum Chemnicensium decoris, eo minus obrepere mihi nuper debuisset oblivio, quod filiam ejus *Christfriedam* venerata est aviam maternam uxor mea demortua, de qua quoties cogito, toties, fidei & amoris ejus memor, veterum more, *tenuem & sine pondere terram, spirantesque crocos & in urna perpetuum ver* ei apprecor. Sed sine dubio festinatione decepto se mihi subtraxit nuper ejus filius Patre non indignus, *M. Zachaeus Christocrates Faber*, qui posteaquam decem circiter per annos verbi Praeco divini in pago Crossen extiterat, anno 1640. Chemnicium legitime accersitus, ac per annos quinque & triginta ad aedem a Johanne divino cognominatam munere sacro fuit functus. Qui senex optimus felicem satis, nactus, senio appetente, laborum & curarum socium filium *M. Gottlieb Fabrum*, se existimasset, nisi filius alter, *Zachaeus Faber*, Themidi sacra-tus, Lipsiae, nefario aggressorum gladio, sine culpa sua, transossus fuisset atque enecatus (p). A filio & nepotibus ad ipsum *Zachaeum Fabrum*, revertor, & quae de

(o) Ventilatur in eo Quaestio nuptialis de actionibus temporis nocturni, sub Praesidio casti Amoris, & illibati Hymenaei, Respondente Dn. Christophoro Ruta, Chemnicensi, Sponso, una cum pudicissima & lectissima virgine, Sponsa, Dorothea Elisabetha Raschia &c. (p) Non ingratum erit Lectori benevolo, si verba lapidi Fabri sepulchrali insculpta hic repetam: *Erblicher, stehe, gehe nicht vorbey, lieg und bedencke wohl zu deinem Wohl. Nicht weit von diesem Stein ruhe ich, Zachaeus Faber, den 1. Julii, 1642. von Gott-und ehrliebenden Eltern, Tit. M. Zachaeo Christocrate Fabro, Seel-*

felicibus filiarum ejus connubiis perspecta mihi sunt, eo lubentius addo, quod haec, cum vitam ejus exponerem, a me praetermissa esse, reminiscar. Prima harum, *Christina Maria*, Viro Juris peritissimo, felici causarum Patrono, *Johanni Wernero*, A. 1625. nuplit, cujus generi laudes Profocerum, *M. Zachaeum Fabrum*, Poëtam Graec. Laur. & Pastorem Hoheleinensem sic cecinisse (q) video:

Majorum perhonesto sanguine cretus
Aetatem teneram in studiis vigilando peregit,
Nomen Apollinea hinc clarum est sortitus ab arte
Juridica, ipse pius cujus Deus extitit autor;
Praeditus est variis animum virtutibus, usu
Rerum multarum valet ingeniiqve vigore.

Secunda, *Christina*, Viro Reverendo, *Abrahamo Scheubnero*, incolis Taurae, qui pagus unum circiter lapidem Chemnicio distat, divinam annuncianti voluntatem, in matrimonium data, atqve sic Superintendentis filia filio Superintendentis, (Penicensis) *Dn. M. Johannis Scheubneri*, conjugii foedere fuit conjuncta. Tertia, *Christfrieda*, post beatum Patris obitum, cum *M. Michaële Machtio*, Franckenbergenium Pastore, & Ephoriae Chemnicensis Adjuncto laudatissimo, solemnia nuptiarum celebravit (r). Dum de familia *Fabri*, Ephorum Chemnicensium ocelli, commemorare quaedam non dubitavi, de *Fabra* quoque, sorore illius, & generis & sexus sui ornamento, addere rem prorsus memorabilem licebit, nec meis quidem, sed verbis filii pietate, eruditione, famaeque celebritate insignis *D. Christophori Schlegelii*, ita scribentis: *Ea, nata annos nonaginta, sedulam curam, fidem & obsequium binis approbavit maritis, Martino Schlegelio, antihac Serenissimi Electoris Saxoniae Concionatori aulico, postea Weisenseae Pastori & Superintendenti; & Martino Uthmanno, ibidem Cosuli, huic XXVIII, illi XXXIV. annos, utriusque bene convixit, ex utroque matrimonio vidua, ex Schlegeliano solum felicissima haud degeneris stirpis facta MATER XI liberorum, AVIA LVI nepotum, PROAVIA LXXXVI pronepotum, ABAVIA XIII abnepotum, SOCRUS VIII generorum & nuruum, PROSOCRUS XXV progenerorum & pronuruum, ABSOCRUS V abgenerorum & abnuruum. In tam numerosa progenie ac familia, cum ornamento & gloriae forent multi, longe majus tamen est, neminem omnium extitisse probro (s). Sed contrahenda sunt vela. A Fabrorum gente ad Juvenem progredior ingenium solertemque doctrinae captatorem*

Salomonem Ephraim Zieslerum, Altmügelsen. Misnicum,

quem, Dei auxilio adjutum, fortunae suae fabrum futurum, certo confido. Ex praeteritis enim futura colligere me tuto posse arbitror. Nostro certe cœtui quamdiu fuit adscriptus (fuit autem per quinque ciciter annos) Deum pie colere, Magistris obtemperare, & intentis oculis officii sui partes intueri non desit. Unde etiam, tametsi acerbo Parentis funere non parum fuerit perterritus atqve animo fere fractus; sensit tamen Dei auxilium praesentissimum, in aedibus praecipue Summe Reverendi atqve Excellentissimi Ephori nostri beneficiis quam plurimis recreatus. Nonne ergo & Dei gratiam & suos etiam mores ipsi porro fortunam prosperam esse conciliaturos sperarem? Spero; imo non spero solum; sed opto etiam, Frantzii supra allegatis verbis, paululum immutatis, usus:

Sis felix, confide Deo, virtutis amator:

Sic tibi fors nullo tempore tristis erit.

Eadem erunt optata, versu quidem germanico expressa, Juvenis magno ardore ad laudem veram nitentis

Johannis Immanuelis Loescheri, Topseifersd. Misnici,

si prius de *Altaribus veterum Hebraeorum* latina verba fecerit. Vos tandem, *Patroni atqve Fautores*, enixe mihi rogandi estis, ut & adesse, & bene precari discessuro non gravemini; quo facto & boni, qui sunt in animo ejus, ignes magis exardescant, & grata vestrae benevolentiae memoria in eo non unquam extingvetur.

Hirten bey dieser Kirche, und Frau Marien, geborner Müdelin: von denselben in Gottesfurcht und Tugend auferzogen: den Studiis obzuliegen in unsere Stadt- und andere ausländische Schulen, auch endlich dieselben zur Nichtigkeit und Wichtigkeit zu bringen auf die Hohe Schule nach Leipzig den 30. Sept. 1661. geschicket worden. Aber o des elenden und plötzlichen Endes, so allda den 9. Jul. 1662. mich überfallen. Es überfielen mich unbewaffneten unvermuthet etliche Studenten, vielmehr Gains-Brüder, die schlugen und verwundeten mich, und einer, den Gottes Rache Auge schreckt, entlebete mich im 20. Jahr meines Alters. O Sterblicher, lebe Christlich, Nichte nicht, wer weiß, wie (wo, wenn) dein Herze bricht. (q) in Epithalamio Graeco-Latino, quod Wernero huic, progenero, & nepti suae, sponsae, scripsit. (r) Legere de eo plura, qui vult, potest in Concione funebri a Dn. D. Friderico Holtzmanno habita & typis etiam excusa. (s) Desumpta sunt haec verba ex Inscriptione Dn. D. Schlegelii in der unschuldigen Mutter-Ehre der Seeligen erwiesen, von D. Christoph Schlegeln, wie auch seinen Töchter-Männern und Söhnen.

H. Sax. 20. 15, 41.